

**DE ARTE RHETORICA IN  
MUSONII DIATRIBIS  
CONSPICUA, DISSERTATIO**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649394128

De arte rhetorica in Musonii diatribis conspicua, dissertatio by Carolus Schmich

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.  
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

[www.triestepublishing.com](http://www.triestepublishing.com)

**CAROLUS SCHMICH**

**DE ARTE RHETORICA IN  
MUSONII DIATRIBIS  
CONSPICUA, DISSERTATIO**



o *Lich*

DE ARTE RHETORICA  
IN MUSONII DIATRIBIS  
CONSPICUA.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE  
ACADEMIAE ALBERTO-LUDOVICIANAE FRIBURGENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

**CAROLUS SCHMICH**

STUTGARDIENSIS.

---

FRIBURGI BRISIGAVIAE.  
FORMIS C. A. WAGNERI

MCMII.

Gm 63.12



Constantine fund

187

OTTONI HENSE  
OTTONI KIENITZ

S.





C. Musonium Rufum inter eos fuisse, qui res potius quam verba spectantes in tractanda philosophia id agebant, ut pravae hominum mores corrigerent, non ut coronae assensum declamando captarent, ipse haud paucis earum dissertationum locis aperuit, quarum reliquiae in opere Stobaeo conservatae sunt. Neque igitur multis demonstrationum ambagibus ad philosophandum opus esse, verum paucis verbis et efficacibus ait, multoque plura habendam esse exercitationem et bene agendi consuetudinem quam disserendi facultatem identidem ille inculcat et gubernatoris medicique exemplis comprobatur, cf. Stob. II 15, 46 p. 193a. W(achsmuth) III 29, 78 p. 648ss. H(ense). Quocumque convenit, quod discipulos docere contentus ipse nihil omnino litteris mandasse videtur. Nam quaecumque nunc eius nomine insignita circumferuntur, ea non ab ipso Musonio sed unius alteriusve audientium cura composita esse docti inter se consentiunt<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Maiora illa dissertationum fragmenta a Stobaeo servata, quae ego in hac commentatione fere sola respicio, cui potius tribuenda sint, Lucio illi cuius semel nunc quidem memoria fit apud Stobaeum (II 15, 6 W) an Polioni a Snida (s. v.) memorato, an denique utrique aut aliis, hoc in dubitatione reliquerunt viri docti, cf. HRAZEL Der Dialog II p. 244, 2. Nunc ea sententia quam primus proposuit Rohde, cui stipulatus est Hense, pervincere coepit, cf. E. RONDE Ueber Lucians Schrift *Λόγος ἡ ἕως* p. 26 adnot. HENSE ad Stob. III 173, 4 al. WENDLAND Philo und die kynisch-stoische Diatr. p. 68ss. THEOD. PFLEGER Musonius bei Stobaeus diss. Freiburg. a. 1897 p. 3.

Facile igitur intellegitur et cur cum Dione Prusensi aliquando controversiam habuerit Musonius ipseque Dio scripserit πρὸς Μουσώνιων (cf. DE ARNIM *Leben und Werke des Dio* p. 150) et cur in sermonibus ille libenter occasionem arripuerit vellicandi rhetoras sophistasve. Eius modi locos mihi notos hic ascribere liceat: οἱ γοῦν ῥήτορες, ὅποτεν ἔλθουσιν εἰς ταῦτο τοῖς φιλοσόφοις καὶ διδάσκει καὶ λαμβάνουσι λόγον, ἔστιν ὄραν αὐτοὺς συγχερομένους ἀπεροσμένους, ἐναντία λέγειν αὐτοῖς ἀναγκαζομένους· καίτοι ὅποτεν οἱ ῥήτορες, οἱ τοῦτο παποικημένοι ἔργον λόγου μελιτάν, ἀσθενέστεροι περὶ λόγου ἀλίσκωνται τῶν φιλοσόφων ὄντες, τί χρὴ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὑπολαμβάνειν; flor. 48, 67 (II 274, 6 M[eineke]), πῶς δ' οὐκ ἀνδρικώτερον τοῦ καθήσθαι ἐν πόλει, ὥσπερ οἱ σοφισταί, τὸ ζῆν ἐν χωρίῳ; flor. 56, 18 II (338, 6 M), πολλῶν μὲν γὰρ λόγων οὐ δεῖ τοῖς φιλοσοφῆσοσι καλῶς, οὐδὲ τὸν ἔχλον τοῦτον τῶν θεωρημάτων ἀναληπτέον πάντως τοῖς νέοις, ἐφ' ᾧ φροσόμενος τοὺς σοφιστὰς ἠρώμεν ibid. 339, 3. Addatur apophthegma, quod ex philosophorum contra rhetoras invidia ortum esse me docuit Hense, καὶ τὸ γε ἀδλιώτατον ποιοῦν τὸν βίον τοῖς γέρονσι αὐτὸ τοῦτό ἐστιν ὁ τοῦ θανάτου φόβος· ὥσπερ ἀμέλει καὶ ὁ ῥήτωρ Ἰσοκράτης ἀνωμολογήσατο· φασι γὰρ ἐκείνον, ἐρωτήσαντός τινος ἔπος διάγει, εἰπεῖν ὅτι οὕτως ὥσπερ εἰκὸς (εἰκὸς HENSE: ἐκείνος S ἐκείνον Tr.) τὸν ἐνενήμοντα μὲν γεγονότα ἔτη, κακῶν δὲ ἔσχατον νομίζοντα τὸν θάνατον flor. 117, 8 (III 89, 29 M). Quem autem adeo rhetoribus detrectasse videmus, eum in suis ipsius sermonibus a rhetorum artificii longe alienum fuisse facile credideris. Et haec quidem opinio primo saltem obtutu confirmari videtur, si recentiorum aliquot de oratione Musoniana iudicia comparaveris. Plus semel enim eius laudatur elegantia et Xenophontei stili quasi aemula venustas (cf. CHRIST *Gesch. d. gr. Litt.*<sup>3</sup> p. 703). Nec

negaverim equidem venustatem quandam inesse eius sermonibus, errare autem qui a rhetorico studio eos remotos esse iudicet, eis quae infra proponam collecta ita patebit, ut orationem Musonianam rhetoricis coloribus abunde tinctam esse perspicuum fiat. Non fugit hoc alios velut HIRZELIUM, qui l. c. II p. 240, 5 de sermone qui *Περὶ ἀκωφῶσεως* inscribitur (Stob. III 29, 78 p. 648 H) eiusque artificii rectissime iudicaverit<sup>1</sup>. Difficultas autem quae in eo cernitur, ut rhetorum adversarius studio rhetorico indulgeat nihilo minus ipse, haec quomodo dilui possit non meum esse reor hoc loco diligentius expendere. Si quis tamen coniciat rhetoris partes discipulum potius Musonii in se recepisse, qui sermones a praeceptore habitos composuit et in formam redegit, is nolim obliviscatur etiam in apophthegmatis minorisve ambitus fragmentis eundem fere fucum rhetoricum comparere atque in Lucii sermonibus<sup>2</sup>. Rectius igitur indicabit qui rhetoricam artem in Musonianis diatribis conspicuam ex ipso illo sermone cinandi genere repetierit, quod diatribarum nomine hodie comprehendere consuevimus. Ut enim altius in pectora audientium descenderent sermones et adhortationes penitus animis inhaerent, fieri non poterat quin etiam sobrii homines et severi arti dicendi aliquid saltem darent et modestioribus licet quam rhetores finibus orationis ornamenta et lenocinia et ipsi admitterent. Est nimirum eadem dicendi ratio, qua iam longe ante Musonii aetatem Bionem, Aristonem Chium, Teletem aliosque usos esse hodie no-

<sup>1</sup> Hirzelii verba haec sunt 'Hier putzt er sogar seine Rede mit dem gewöhnlichsten rhetorischen Flitter'.

<sup>2</sup> De uno eius modi loco iam monuit Hirzel l. c. II p. 240, 5: 'Auch Catos Diktum bei Gellius XVI 1 hat er in eine rhetorische Form gebracht'. Possunt alii addi, velut Stob. III 5, 21 III 6, 22 H.